

Et tria, immo plura multo evadit. Nam si entia extra se posita, intelligenda sibi sint, necesse est ut prius ad ea porrigatur. Porrectione hac, duo sit: et simplex amplius non persistit. Tria vero sit, cum entia tangit. Quatuor, cum in se vertitur. Quinque, et amplius tanto, quot ipsa intellectu entia sunt. Igitur de uno simplicissimo, Deus intelligendo, et unitatem suam ammittit, et sit multiplex. At hoc impossibile, et contra demonstrata. Non ergo Deus alia intelligit. At neque se ipsum intelligere, est ostensum. Ergo prorsus non intelligit. Præter hæc, intellectio, cognitio quædam est; cognitio autem omnis desiderium quoddam est, cognoscendæ rei, per indagationem, et quæsitæ, et adinventæ, et occurrentis. Qui vero quærit, indigus est eius rei, quam quærit. At Deus, bonum ipsum perfectissimum, sufficientissimumque, et sibi, et aliis, quo nam eget? Si non eget, quid nam quæret? Aut quærendo quidnam acquirat, quod iam vel non sit, vel non habeat? Sibi ne, an aliis quæret, et acquirat? Nec sibi, nec aliis. Non sibi, quia nihil aliunde accipit, cum ipse omnia sit, et sit in omnibus. Non aliis, sufficit enim ipse solus, aliis omnibus. Qui omnia, et a principio produxit, et producta conservat: eaque perficit, et ad se convertit, et reducit. Nullo ergo modo Deus pater intelligit, nec cognoscit: quia nec se ipsum, uti est demonstratum, nec alia cognoscit, aut intelligit. Neque sensus habet, nec media est facultas, neque est intellectus, nec intellectum in se habet, neque intellectionem; neque ex intellectu est ordine.

Quid ergo, se ipsum prorsus ignorat? Ignorat quoque alia omnia? O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius. Quis hæc scrutari audeat? Perscrutari quidem, et pervestigare nequimus, scrutare tamen, et vestigare aliquid, sua ope audeamus, quando, et lumen eius, et rationes in idem cum fide sacrosanta nos deducunt. Non ignorat se, non ignorat alia, etiam si, nec se intelligat, nec alia, nec sensu, nec ratiocinio comprehendat. Quo modo ergo non ignorat, si his modis non cognoscit? Se ipsum, se ipso novit. Se ipso itidem novit omnia, supereminentissimo, et sibi proprio modo: intuitu nullo, quamvis simplicissimo; intellectione nulla, et nulla in se ipsum conversione. Sed sapientia summa sua, quæ ipsemet est, et sui ipsius plenitudine, sapit, ac scit omnia. Sapientia vero hæc sua, nihil quærit, ut id sapiat: nihil venatur, neque in se, neque in alium revolvitur, quod facit intellectus. Sed in se habet, imo ipse est, eadem ea quæ sapit, neque unquam iis caret, aut ipse a sapientia cessat. Atque ideo verissime a vetere Diotima dictum est, Deus non philosophatur; nec cupit esse sapiens. Est enim, in se talis. Neque ratiocinatur, per rerum terminos, qui ipse sunt. Neque intelligit quærendo eos aliunde, vel in se reducendo, quos iam in se habet. Hæc enim imperfectionem indicant. Dei ergo sapientia, opus non habet, extra se progredi, ut se cognoscat: aut in se redire, ut cognoscat alia; aut ad ea prodire, et ea in se per circuitum, aut rectam referre; quæ iam in se, et habuit, et habet, et ea est, et a quibus non discedit; nec illa discedere a se patitur. Se ipso ergo, semet ipsum, et alia omnia in semet ipso, Pater Deus scit, et sapit. Et hæc est eius ineffabilis sapientia, et summa veritas, quam a se in omnes fundit intellectus, et veritatem in eis ingenerat, et eos ipsa perficit.

*FINIS DECIMISEXTI LIBRI*